



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

De S. Peregrina V. M. Roma Labacum In Carniola Translata, Sylloge.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

AUCTOR
C. B.

prophetare simularet, supervenientem dæmonium, quo illa agitabatur, coarguere instituisse; yerum ab aliis, qui idem cum illa sentiebant, esse cohibitum. Meminit etiam cujusdam Thræseæ, qui circa hæc tempora martyr fuit, seu potius, cum Græce habeatur Καὶ Θρᾶσα de τῶς τῶν τότε μαρτύρων ἠνθισσεναι, meminit etiam cujusdam Thræseæ, qui tunc martyr fuit.

171 sub Marco Aurelio coronatus martyrio deposit.

20 Thræseas ergo, uti ex his Eusebii de Apollonio verbis colligendum videtur, martyrio fuit affectus eo ipso tempore, quo Maximilla, e falsis Montani prophetissis una, fictas suas prophetias edere primum cepit; hoc autem insana illa mulier ipso statim impiæ Montanistarum seu Cataphrygum, quam verosimilius anno circiter 171 erupisse e latebris, tom. II Monument. Nota 1 in Montanistas pag. 666 recte docet Tillemontius, hæreseos exortæ initio fuit aggressa, ut adeo verosimilius etiam S. Thræseas eodem circiter anno 171 martyrii palmam fuerit adeptus. Hinc porro jam consequitur, ut hoc et annis circiter quinque supra viginti ante Polyeratis ad Victorem epistolam, et sub Marco Aurelio imperatore, utpote ab anno

161 ad annum usque 180 imperii Romani habenas D moderato, eenerit. Ceterum, ut tempore, quo Sanctus subierit martyrium, hunc in modum determinato, Syllogæ huic finem imponam, notandum adhuc est, sancto Thræseæ vituperio verti non posse Polyeratis ad Victorem epistolam sæpissime laudatam, licet in hac accensatur iis, qui Pascha Luna decima quarta celebrarunt; hoc enim ea, qua Sanctus floruit, facere etate, nondum erat, ut postea in concilio Nicæno 1 fuit, ab Ecclesia fidelibus prohibitum; imo vero cum a Pylgerate clarissimos inter viros, vita in Asia tunc functos, secundo post Apostolum Joannem loco, proximeque post S. Polycarpum celeberrimum Smyrnesium episcopum et martyrem in eadem, ut jam dixi, epistola numeretur, maxime hæc in laudem ejus cedit; idem etiam dicendum est de epistola seu libro Apollonii, verbis ex Eusebio num. præced. huc transcriptis memorato; cum enim hic contra Montanistas seu Cataphrygas exaratus sit, mentio, quæ in eo de S. Thræsea fit, non aliam ob causam fieri videtur, quam quod hic contra illos hæreticos pro fide Orthodoxa decertavit.

B

DE S. PEREGRINA V. M.

ROMA LABACUM IN CARNIOLIA TRANSLATA,

SYLLOGE.

VEROSIMILIS
ANTE ANNUM
CCCLII.
Ratio, ob
quam Sancta
detur:

Etsi Romani martyres, recentiori memoria e sacris cæmeteriis extracti, qui ad publicam venerationem varias in regiones identem translati annuoque deinceps festo fuere honorati, ad sacram antiquitatem illustrandam, qui finis est in Opere nostro præcipue intentus, vel nihil prorsus, vel certe parum conducant, scrupulosiusque proinde perquirendi non sint, non omnes tamen universim, cum et ultro quodammodo sese offerrent, et translationis historiam, pluribus alias communem, spectabiliorem relatuque digniorem adjuncta efficerent, a Majoribus nostris fuerunt prætermisii. Nobis adeo, horum vestigiis, dum nil impedit, insistere assuetis, S. Peregrinam virginem et martyrem, e Romano Priscillæ cæmeterio extractam, Labacique dein, ducatus Carniolie metropoli, in Augustinianorum Discalceatorum conventu, cui anno 1639 fuit donata, quinta Octobris die cultam, hodie præterire visum non est, cum e duo augustissimi piissimique principes, Leopoldus I imperator hujusque avunculus, Leopoldus Wilhelmus Austriae archidux, solemnem, qua sancta illa Virgo, seu potius sacra ejus lipsana anno 1660 in ædem præmemorati Labacensis conventus S. Josepho sacram fuere illata, supplicationem præsentia sua illustriorem memoratuque digniorem effecerint, et brevem ejusdem descriptionem Joannes Ludovicus Schönleben SS. Theologiae doctor et Carniolie Inferioris archidiaconus, vir orbi litterario edita in lucem lucubratione non una satis notus, ad decessores nostros anno 1677 ultro submisit una cum duorum, quorum alterum Roma Labacum allatum, alterum in hac ipsa civitate fuit confectum, instrumentorum publicorum, ad S. Peregrinam spectantium, apographis, in unicum, quod ipsemet, utpote Apostolica etiam

auctoritate protonotarius, confecit, instrumentum itidem publicum congestis.

2 Docent hæc nos primo quidem, qui sacrae sacra ejus Peregrinae exuvia, e Romano Priscillæ cæmeterio, via Salaria sito, summi Pontificis Alexandri VII jussu ab illustrissimo et reverendissimo domino Marco Antonio abbate Oddo, Eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis in alma Urbe vicarii vices gerente, extractæ, in Labacensem tandem Discalceatorum S. Augustini eremitarum domum fuerint transcriptæ; deinde vero, qui easdem Labacum jam allatas, rite approbarit, publicæque fidelium venerationi exponi, supplicante, qui tunc præfato Labacensi conventui præerat, R. P. Sincipiano ab Assumptione, permiserit celsissimus ac reverendissimus dominus Otto Fridericus, Labacensis episcopus. Juerit ambo, tum quod pleraque jam dicta probent, tum quod infra futura adhuc sint usui, huc transcripsisse una cum præfata, quam Schönlebenus suppeditavit, descriptione. Ut res eo, quo sunt gesta, ordine tradantur, ab apographis, seu potius a dicto, cui hæc inclusit Schönlebenus, instrumento exordior. Tale hujus est initium: In nomine Domini, amen. Noverint universi et singuli, præsentibus litteras sive hoc publicum instrumentum et transsumptum inspecturi, lecturi vel audituri, quod ego Joannes Ludovicus Schönleben SS. Theol. doctor, autoritate Apostolica protonotarius etc. subinserta duo publica instrumenta, mihi per adm R. P. Josephum a S. Oswaldo Ord. Eremitarum S. Augustini Discalceatorum conventus Labacensis in ducatu Carniolie subpriorem et concionatorem producta et exhibita, in Originali viderim, manu tenuerim, legerim et perpenderim diligenter. Et quia dicta instrumenta utraque sana, integra, omni prorsus vitio et suspitione carentia inveni. idcirco

E

A idcirco illa copialiter describi curavi et in hanc publicam transumpti formam redegi.

R. P. Joannes Gregorius a Jesu Maria, Augustinianus Excalceatus,

3 *Hæc ubi præfatus est Carniolia Inferioris archidiaconus plus semel jam laudatus, mox e binis memoratis apographis primum subjungitur; tenor autem hujus, ut ait idem archidiaconus et protonotarius, hic est: In Dei nomine. Amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod anno a nativitate ejusdem Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, Indictione duodecima, die vero vigesima septima Maii, Pontificatus autem SSmi in Christo Ppris, et D. N. D. Alexandri divina providentia Papæ septimi, anno ejus quinto, adm Rds P. Fr. Joannes Gregorius a Jesu Maria, procurator generalis RR. PP. Discalceatorum S. Augustini Congregationis Italiae, mihi cognitus, asserens et affirmans mediante tacto pectore more solito, penes se semper retinuisse, et adhuc retinere sacras reliquias seu ossa corporis S. Peregrinae virginis et martyris, sibi vigore instrumenti rogati per Acta Casii notarii Eminentissimi et Rdmi Dni almæ Urbis vicarii sub xvi Aprilis præteriti donata ab illmo et adm Rdō Dño Carolo Barbetta presbytero Senagalliensi, et per ipsum Rdm Dñm Carolum dono recepta ab illmo et Rmo Dño Oddo etc. ejusdem eminentissimi Dni almæ Urbis vicarii vices gerente, mediantibus litteris patentibus a donatione sua illma die xxv Februarii mdcxvi subscriptis, ejusque sigillo munitis, ac originaliter insertis in præfato instrumento donationis per acta Casii præfati rogati.*

sibi a R. domino Carolo Barbetta

4 Quod quidem instrumentum cum insertione prædicta in publica forma præ manibus habens dictus R. P. Joannes Gregorius mihi notario ad alligandum in præsentis instrumento tradidit et consignavit, prout in folio tenoris sequentis, videlicet: In nomine Dni. Amen. Præsenti publico instrumento cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a Nativitate Dni nri Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, Indictione xii, die vero xvi mensis Aprilis, Pontificatus autem SSmi in Christo Ppris, et Dni Nri Dni Alexandri divina favente clementia Papæ septimi, anno ejus quinto in mea notarii publici ac testium infra scriptorum præsentia præsens et præsentialiter constitutus illmus et adm Rdus Dñs Carolus Barbetta presbyter Senagalliensis mihi cognitus asserens, et mediante tacto pectore more solito affirmans, penes se semper retinuisse, et retinere sacras reliquias, seu ossa S. Peregrinae virginis et martyris, sibi ab illmo, et Rdō Dño Oddo, Eminentissimi Dni almæ Urbis Cardinalis vicarii vices gerente una cum ossibus corporis S. Barbaræ donata mediantibus litteris patentibus a Dñaone sua illma die xxv Februarii mdcxvi subscriptis, ejusque sigillo munitis, quas præ manibus originaliter tenens mihi notario tradidit præsentis instrumento inserendas tenoris prout infra.

presbytero Senagalliensi,

5 Utens igitur, ac uti velle declarans facultate, ab eodem illmo dño vices gerente sibi concessa, de dictis sacris reliquiis aliis donandi ad majorem Dei omnipotentis et suorum Sanctorum gloriam et honorem specialem etc. donavit et largitus fuit dicto adm Rdō Pfi Fri Joanni Gregorio a Jesu Maria procuratori generali Frum Discalceatorum S. Augustini Congregationis Italiae, tum absentis, Rdō Pfi Fri Mauritio a S. Firmo ejusdem Congregationis sacerdoti professo pro eo præsentis et recipienti predictas sacras reli-

quias, seu ossa corporis S. Peregrinae V. et M. reconditas et collocatas in quadam capsula lignea alba quadrata cum bombice intus, ac nominis dictæ S. Virginis inscriptione, longitudinis duorum palmorum circiter, altitudinis novem digitorum circiter et latitudinis decem digitorum circiter, vitta serica rubea ad instar crucis alligata, et sigillo prædicti Eminentissimi vicarii cera rubra Hispanica impresso munita; quam quidem capsulam sic sigillatam, et cum dictis sacris reliquiis S. Peregrinae in ea reconditis idem Rdus Pfi Fri Mauritius nomine supra dicti adm Rdī Pfis Fris Joannis Gregorii procuratoris generalis ea majori, qua potuit, reverentia et devotione ad seipsum recepit, et gratias infinitas Deo egit, animo illas illico asportandi dicto Rdō Pfi procuratori generali, et ad affectum, ut ipse Pfi procurator gr̄lis possit et valeat dictas sacras reliquias penes ipsum retinere, aliis personis donare, extra Urbem ad quaecunque mundi partem trāsmittere seu transmitti facere, ac eas in quacunque ecclesia, sacello vel loco pio publicæ veneratione Xri fidelium exponere, vel exponi curare omni meliori modo et forma etc. Super quibus omnibus et singulis præmissis petitionem fecit a me notario publico infra scripto, ut unum vel plura, publicum seu publica, conficerem atque traderem instrumentum vel instrumenta, prout opus fuerit, et requisitus ero. Actum Romæ in domo inhabitata a dño Martha Faccalumi, signatum ad campum Floræ, præsentibus itidem dño Jacobo Casinario de Leonissa Spoletanæ diocesis, et dño Felice de Felicibus Lucense, testibus ad omnia superius expressa vocatis, habitis et rogatis. Marcus episcopus Hierapolitanus vices gerens.

AUCTORE C. B.

6 Tenor supra dictarum litterarum patentium talis est: Marcus Antonius abbas Oddus, utriusque signaturæ referendarius majoris præsentia abbreviatorum, et in alma Urbe Eminentissimi et Rdmi dñi Cardinalis SSmi D. N. D. Alexandri Papæ septimi vicarii vices gerens, universis et singulis præsentibus inspecturis fidem facimus et attestamus, quod nos ad majorem omnipotentis Dei, et Sanctorum suorum gloriam et honorem tradidimus et consignavimus adm Rdō dño Carolo Barbetta Senagalliensi reliquias, seu ossa corporum Sctarum Peregrinae et Barbaræ virg. et martyrum, e cœmiterio Priscillæ via Salaria de mandato Sanctissimi extractas, eidemque dño Carolo, ut prædictas reliquias apud se retinere, aliis donare extra Urbem mittere, et in quacunque ecclesia, capella seu oratorio, et publicæ fidelium venerationi exponere, et collocare possit et valeat, præsentem facultatem in Dño concedimus et impartimur. In quorum fidem etc. Datum Romæ ex ædibus nris die xxv Februarii mdcxvi.

qui ea a Cardinalis in Urbe vicarii vices gerente acceperat,

Marcus Antonius Oddus vices gerens. Loco ✕ sigilli. Petrus Capillacius secretarius. Et quia dñs Sebastianus Cesius caus. Cur. Eminentissimi et Rdmi dñi Cardinalis vicarii notarius de præmissis rogatus fuit, ideo ego Ovidius de Austrilles Sabinus et civis Romanus, pub. Dei gratia et Apostolica autoritate notarius officii dñi Sebastiani Cesii administrator præsens instrumentum subscripsi.

Loco ✕ sigilli. Nos Martius miseracione divina episcopus Albanensis S. R. E. presbyter Cardinalis, Ginettus nuncupatus, SSmi D. N. Papæ et almæ Urbis vica-

AUCTORE
C. B.

vicarius generalis, Romanæque curiæ ejusque districtus judiciarius, universis notum facimus et attestatur, supra dictos ddños Sebastianum Cesium de præmissis rogatum, et Ovidium de Austrilles, qui pro eo præsens instrumentum subscripsit et publicavit, fuisse et esse tales, quales sese faciunt, scripturisque eorum publicis et simplicibus in judicio et extra semper adhibitam fuisse, et de præsentem plenam adhiberi fidem omnibus indubiam testatur. In quorum fidem etc. Datum Romæ ex ædibus firis hac die xviii Aprilis mdcxvi. Pro dño Lanno Pino notario Jacobus Taxus subscripsit.

Loco ✠ sigilli.

dono data,
in Labacensem
Ordinis
sui

7 Utens igitur et uti velle declarans facultate præfato R. dño Carolo Barbeta concessa per ejusdem illmum et revdum dñum Oddum etc. ac sibi per ipsum dñum Carolum impertita, de dictis reliquiis aliis donandi ad majorem Dei omnipotentis, et suarum Sanctarum gloriam et honorem, prout in præserto instrumento expresse legitur, specialiter præ omnibus donavit et largitus fuit venerabili conventui S. Josephi Labaci Ordinis Discalceatorum S. Augustini absentis, Rdo Pri Ffr Mauritio a S. Firmo ejusdem Ordinis Discalceatorum pro eo præsentem, et recipientem præfatas sacras reliquias seu ossa corporis S. Peregrinæ virginis et martyris, reconditas et collocatas in quadam capsula lignea, alba, quadrata, cum bombice intus, ac nominis dictæ S. Virginis inscriptione, longitudinis duorum palmorum circiter, et latitudinis decem digitorum, vitta sericea rubea alligata, et sigillo prædicti Eminentissimi vicarii cera rubea Hispanica impresso munita; quam quidem capsulam sic sigillatam et cum dictis sacris reliquiis S. Peregrinæ, in eadem reconditis, idem R. Pfr Ffr Mauritius nomine dicti venerabilis conventus, ejusque RR. PP^{um} ea majori, qua potuit, reverentia ad seipsum recepit et gratias infinitas Deo egit, animo illas illico asportandi ad præfatum venerabilem conventum S. Josephi Labaci, illiusque RR. PP^{um} ad effectum, ut dicti RR. PP^{um} in eorum ecclesia, et qualibet illius capella seu altari publice venerationi Xri fidelium exponere possint et valeant omni etc.

conventum
transcribit.

8 Super quibus omnibus et singulis præmissis petitionem fecit a me notario publico infra scripto, ut unum vel plura, publicum seu publica, conficerem atque traderem instrumentum vel instrumenta, et alia quæcumque, si opus fuerit et requisitus ero. Actum Romæ in officii mei regione Pontis, præsentibus dño Gregorio Cellio, filio Petri Reatino, et dño Jacobo Cablicano, filio quondam Augustini de Saxo Ferrato Novarinæ diocesis, testibus ad omnia prædicta et singula vocatis, habitis specialiterque ragatis. Pro dño Dominico Petrucciolo curiæ causarum cameræ Aplicæ notario de præmissis rogato ego Thomas Palutius ejusdem curiæ notarius præsens instrumentum subscripsi et publicavi. Nos Oduardus Vecchiarellus protonotarius Aplicus utriusque signaturæ SSmi dñi N. D. Papæ referendarius, nec non causarum curiæ cameræ Aplicæ generalis auditor, Romanæque curiæ judiciarius, universis fidem facimus et attestatur, supra dictos ddños Thomam Palutium de supradicto instrumento, qui pro dño Dñico Petrucciolo subscripsit et publicavit, rogatos fuisse et esse tales, quales sese faciunt, notarios publicos et legales authenticos, suisque tam publicis quam privatis scripturis in judicio et extra semper adhibitam

fuisse, et de præsentem indubiam fidem adhiberi. D In quorum fidem etc. Datum Romæ ex ædibus firis hac die xxvii Maii mdcxix.

Bernardus notarius.

Loco ✠ sigilli.

9 Ita hæcenus ex recensione Schönleboni, quod Roma una cum S. Peregrinæ reliquiis Labacum ex dictis fuit allatum, primum instrumentum seu potius hujus apographum; posterius vero, Labaci confectum, his verbis concipitur: Otto Fridericus ex comitibus a Buchhaim episcopus Labacensis et princeps, S. Cæs. Mfis arcanus consiliarius, SSmi D. N. divina providentia Alexandri septimi prælati domesticus et Pontificii throni assistens, cathedralium ecclesiarum Salisburgensis, Magdeburgensis et Passaviensis canonicus, universis et singulis hæcnam publicam attestacionem, seu sacrarum S. Peregrinæ virginis et M. reliquiarum autoritate ordinaria factam recognitionem visuris, lecturis aut legi auditoris salutem in Dño, et præsentibus fidem indubiam adhibere. Notum sit et cunctis pateat evidenter, quod adm R. Pfr Ffr Simplicianus ab Assumptione, conventus Labacensis divi Josephi Ordinis Discalceatorum S. Augustini pro tempore Prior, Roma noviter acquisitas reliquias beatæ Peregrinæ virginis et M. autoritati nræ episcopali et ordinaria recognoscendas obtulerit, et pro publica de eisdem attestacione, et facultate ad easdem venerationi exponendas humillime supplicarit.

hæcque dein
de Labacum
allata

10 Cum igitur justum sit, veritati testimonium perhibere, et S. Trid. Concilium ses. xxv de veneratione et reliquiis Sanctorum singularissime caveat et inhibeat, ne Sanctorum ullæ reliquie recipiantur, nisi recognoscantur et approbantur episcopo, ideo die vi Novembris anni mdcxix, assumpto nobiscum vicario nro genali Philippo Terpin etc., adm Rdo Pfr Ffr Gabriele de Cattanea Ordinis Conventualium S. Francisci SS. Theologiæ magistro etc., et aliis, personaliter dictum S. Josephi monasterium ingressi inquisivimus primo de authenticis litteris harum reliquiarum, unde videlicet, et cujus licentia desumptæ, a quo primitus impetratæ, et a quo huic Labacensi conventui sint donatæ; super quibus quæsitis attestatur, nobis exhibitas esse litteras authenticas, quarum datum Romæ xxvii Maii anno mdcxix, a notario publico Thoma Fauluccia, curiæ causarum cameræ Apostolicæ notario subscriptas, et signo notariatus subiungatas; cui uti notario publico in judicio et extra fidem haberi et habendam esse, Oduardus Vecchiarellus protonotarius Apostolicus, utriusque signaturæ dñi nri Papæ referendarius, et causarum curiæ cameræ Apostolicæ generalis auditor sua syngrapha, et magni sigilli appensione sub eodem dato attestatur.

rite a Labacensi
episcopo

F

11 Secundo attestatur ex iisdem authenticis litteris, præfatas sacras reliquias ex mandato SSmi Dñi nri Papæ de cimiterio Priscille via Salaria ab illmo et rdmō dño Marco Antonio abbate Oddo, in alma Urbe Eminentissimi et rdmī dñi dñi Cardinalis vicarii vices gerente extractas esse, et xxv Februarii anno mdcxvi rdo dño Carolo Barbeta, dein ab hoc rdo patri Ffr Joanni Gregorio a Jesu Maria, procuratori generali Frum Discalceatorum S. Augustini, et per eundem venerabili conventui S. Josephi Labaci, ejusdem Ordinis Discalceatorum S. Augustini, traditas esse et consignatas in eadem, uti primitus datæ fuerant, capsula, clausura, ligatura et signatura eisdem. Tertio inquisivimus de ipsa

recognoscuntur,

A ipsa cistula, et contentis in ea sacris reliquiis, et reperimus eas in digniori ipsius monasterii cella, super mensa tapete strata, reverenter depositas, in capsula lignea alba, quadrata, cum nominis dictæ S. Virginis et M. inscriptione, longitudinis duorum circiter palmorum, altitudinis novem digitorum circiter, et latitudinis decem digitorum, vitta sericea ad instar crucis ligata, et sigillo præfati Eminentissimi dñi D. Cardinalis in alma Urbe vicarii cera rubea Hispanica impresso et integro, absque falsificationis ejus indicio aut suspitione fracturæ vel aperturæ ullius optime communitas. Cistulam itaque sic deforis perlustratam reverenter aperuimus, et sacra ossa cum bombice supra et infra, et a lateribus involuta reperimus, omnia et singula, prout in litteris authenticis accuratissime describuntur.

approbantur,
publicæ venerationi per-
mittuntur,

12 Omnibus igitur et singulis cujuscumque status et conditionis Christi fidelibus tam firis diocesanis quam exteris quibuscumque hoc publico testimonio fidem facimus, quod ex diligenti facta recognitione præfatas sacras reliquias illas ipsa esse invenerimus, quas de cæmeterio Priscillæ extraxit de mandato SSm̄i Eminentissimus dñus D. in alma Urbe Cardinalis vicarius etc. Ideo fira episcopali ordinaria autoritate easdem S. Peregrinæ virginis et martyris reliquias esse approbamus, et in quacunq[ue] ecclesia, capella vel oratorio publice fidelium venerationi exponi posse decernimus, et declaramus, et per præsentem firas litteras publicam concedimus facultatem. Interim autem easdem clausimus in cistulam, et vitta eadem ligavimus, et pro interim usque dum capella propria, in quam publice venerationi exponantur, fabricæ suæ complementum accipiat, sigillo firo obsignavimus, et ibidem commendavimus observandas. Actum Labaci in dicto S. Josephi monasterio, præsentibus, ut supra, vicario nostro generali etc., Rdo Præfate magistro Gabriele de Cattanea, Joanne Bapta Janonio Pistoriensi, firo præfecto palatii, et hujus conventus Fratibus, rdo Præfate Simpliciano ab Assumptione Priore, Præfate Christofero a S. Michaele, Præfate Francisco Wenceslao a S. Maria, Præfate S. Wenceslao, Præfate Alberto a SSma Trinitate, testibus ad omnia superius expressa vocatis, habitis et rogatis. In quorum omnium fidem has manus nostræ subscriptione et episcopalis firi sigilli appressionem fecimus communiri. Die VI Novembris anno MDCLIX.

Otto Fridericus episcopus Labacensis.

Locus ✠ sigilli.

inque Augustinianorum Excalceatorum, ipsomet imperatore,

13 Sic habet secundi, quod num. 1 memoravi, instrumenti apographum, cui integre transcripto Schönlebenus supra laudatus subjungit: Ego itaque supra memoratus protonotarius Aplicus Joan. Ludovicus Schönleben fidem facio et attestor, præinserta gemina instrumenta publica, a me revisa, relecta, et cum originalibus ipsorum collationata, in omnibus ac singulis de verbo ad verbum integre sibi correspondere ac concordare. In quorum omnium fidem authenticam hanc copiam appressio meo sigillo firmavi. Labaci die XXII Octob. anni MDCLXXVII.

J. L. Schönleben.

Locus ✠ sigilli.

Clausulæ huic, qua cum autographis se contulisse apographa, hæcque cum illis concordare, testatur Carniolæ Inferioris archidiaconus, subditur etiam testimonium, quo, hunc esse, qualem sese in illa nominat, pronotarium Apostolicum, fidemque

in judicio et extra indubiam mereri, testatum facit Joannes Marcus Rossetti, canonicus et parochus Labacensis; verum, cum integrum, quod duonum. 1 memorata apographa complectitur, Schönlebenianum instrumentum huc transcripsisse, ad finem hic intentum sufficiat, testimonium illud præteriens, ad descriptionem supra laudatam progredior, qua, qui sacra S. Peregrinæ lipsana in Labacensem Augustinianorum Discalceatorum ecclesiam fuerint illata, a Schönlebeno hunc in modum narratur: Dum sac. Cæs. majestas Leopoldus augustus hereditarias suas provincias, quas Interiori Austriam nuncupamus, homagium a Vasallis suis recepturus, anno MDCLX invisit, et per eas, veluti peregrinus, Peregrinam virginem et M. Romanam Labaci obviam habuit, urbe ducatus Carniolæ metropoli.

AUCTORE
C. B.

14 Lustrata jam erat Styria inter applausus et triumphales arcus erectos a fidelissimis statibus; peragrata similiter Carinthia, cum die VII Septembris sub vesperam ingenti totius pene Carniolæ accursu et gaudio, in splendidissima comitiva omnium ordinum Labacensem urbem ingressus est cæsar, et persolutis primo ad divorum pulvinaria gratis laudatorio hymno in æde cathedrali D. Nicolao episcopo sacra, ad palatium episcopale divertit. Pauculis post diebus, dum homagii præstandi solemnitas apparatus, sacra lipsana S. Peregrinæ V. et M. RR. PP. Excalceatis Augustinianis Roma allata sunt; quæ ut solenniori, qua fieri posset, pompa in sacra æde S. Josephi, cui memorati Patres deserviunt, collocarentur, placuit differre tantisper triumphum S. Virginis, donec sua Majestas post receptum Carniolæ homagium, redux Goritia et Tergesto, quo similiter institutum erat iter, appelleret. Labebatur in vesperam dies S. Francisco Seraphico sacra quarta Octobris, quando fessus ex difficili per Alpes Julias itinere cæsar Nauporto Labacum defluxit, et denno palatium episcopale repetiit. Interea Labacenses per omnes totius urbis fenestras accensis luminibus suam de felici principis sui reditu lætitiâ contestati, in diem sequentem, quæ erat V Octobris, solennem adorabant supplicationem.

qui tunc Labacum advenerat,

E

15 Deposita erant in medio cathedralis ecclesiæ sacra D. Peregrinæ lipsana arcæ insignis operis crystallino vitro pellucidæ inclusa, et feretro pretiose ornato imposita. Mane summo, peractis de more divinis Officiis a clero dictæ cathedralis, et congregato etiam extraneo clero, pleno campanarum pulsu advocata tota pene concurrat civitas, ætas omnis et ordo. Nec pietati tam raræ deesse voluit augustus, tametsi lassus, nec serenissimus archidux Leopoldus, qui una aderat, tametsi ægrotans. Præivere, ut in supplicationibus solent, tribus artificum cum suis labaris et vexillis longo ordine; tum archiconfraternitas Corporis Christi, constans e primariis fere civitatis et mercatoribus sub suis etiam signis. His successere religiosæ familiæ, patres primum ipsi Discalceati, quorum solennitas agebatur, Patres Cappuccini, Franciscani Observantes, Augustiniani Calceati, gestantes manibus ardentis cereos. Proxime hos subsequerentur magno numero nobiles juvenes, qui laureis coronati sertis et candidis funalibus instructi sacre Virginis feretrum undique ambiabant. Ad hæc non minore numero adolescentuli, angelico habitu vestiti, flores per viam spargebant. Feretrum octoni sacerdotes, dalmaticis pretiosis ornati, supra humeros eminum et toti populo

solennem,
qua id fit,

F

AUCTORE
C. B.

spectabile deferebant. Modico ab iis intervallo sejuncti longissimo ordine processerunt clerici linteati et sacerdotes, tum deinde consueto in habitu canonici cathedralis ecclesiae, ac demum in absentia ordinarii episcopi suffraganeus episcopus Petinensis, idemque Labacensis praepositus, D. Franciscus Maximilianus Vaccanus de S. Pass. Sufficere videri poterat haec pompa ad pietatem excitandam in populo, qui agmen precedentium ab utroque latere confertissimus stipabat, ut multorum et natarent piis in lachrymis oculi, et genua in terram subsiderent.

pompan comitante, ecclesiam inferuntur.

46 Auxit vero omnium tam pietatem quam laetitiam augustissimus caesar cum serenissimo patruo archiduce Leopoldo Wilhelmo, qui supplicationi interesse, et longam satis viam extra urbem e cathedrali ad S. Josephum pedibus relegere, et non absque magna lassitudine comitari voluerunt. Exemplo principum animata universa aula, quae tunc aderat, tres principes, Lobcovitius, Averspergius et Gonzaga, geminarum aularum praefecti Portia et Schwartzenbergius; cum his inclyti ducatus Carnioliae proceres, aliique etiam advenae comites et barones ingens post se promiscui vulgi traxerunt agmen, ut ad ecclesiam, in qua collocandum erat sacrum pignus, vix centesima pars accessum habere potuerit. Cantata ibi a suffraganeo episcopo solennis Missa, personantibus tubis et tympanis ac symphonicis, cui sac. caes. Maj. una cum serenissimo Leopoldo archiduce ad finem usque devotissime interfuit. Delatum postea est sacrum pignus ad sacristiam, donec oratorium Congregationis mortuorum ecclesiae contiguum liberalissimo sumptu sac. caes. Majestatis, et in eo peculiare sacellum pro asservando corpore S. Peregrinae pari liberalitatis munere serenissimi Leopoldi extrueretur. Quod quidem paucis post annis absolutum, nunc, dum ista scribimus, proposita in altari sacra lipsana exhibet, venerationi fidelium patens, et suspensis anathematis indies capit incrementum.

Error in tempore, quo Labacum notantur primum delata.

C

47 Hactenus sacrae Theologiae doctor et Carnioliae Inferioris archidiaconus saepissime jam laudatus, narrationi huic quamdam adhuc de Sancta, sacris ejus lipsanis, inductoque Labaci apud Discalceatos S. Augustini alumnos cultu ecclesiastico notitiam mox adjungens; verum, antequam de hac agam, paulo hic sistendum est. Idem is archidiaconus verbis num. 13 et 14 recitatis docet, sacra S. Peregrinae lipsana paucis diebus, postquam Leopoldus imperator, anno 1660 interiorem lustrans Austriam, septima Septembris die Labacum esset ingressus, Excalceatis civitatis hujus Augustinianis Roma fuisse allata, ut hoc, si modo viri illius eruditi testimonio standum sit, ante annum 1660, ad Septembrem usque provectum, haud evenerit. Verum sacras Sanctae nostrae exuvias jam ab anno 1659 ad Labacense Excalceatorum Augustinianorum monasterium fuisse delatas, ex publico, num. 9 et tribus seqq. huc transcripto, instrumento, utpote quo illas jam tum in hoc ipso monasterio rite recognitas approbarit Labacensis episcopus, apertissime liquet. Errorem adeo quantum ad tempus, quo S. Peregrina fuerit Roma Labacum translata, in proxime hic recitata, quam contexit atque ad Majores nostros Schönlebenus misit, descriptione indubie commisit; quod sane non possum non mirari, cum praemanibus habuerit non modo instrumentum illud, verum etiam, quam cum Majoribus nostris communicavit, Notitiam, a P. Simpliciano supra laudato instru-

menti Romani num. 3 et quinque seqq. recitati autographo a tergo inscriptam, in qua hic sese S. Peregrinae virginis et martyris, plumbatis, ut ait, ad mortem caesa, corpus Roma acquisivisse, Labacumque allatum in Excalceatorum civitatis hujus Augustinianorum conventu, cui praerat, anno 1659, die 13 Augusti deposuisse, testatur.

48 Venio nunc ad eam, quam mox dixi, notitiam. His verbis concipitur: Est corpus (S. Peregrinae nimirum) fere integrum cum ampulla vitrea, in qua sanguis sanctae Virginis, extractum, Alexandro VII Pontifice, e cimiterio Priscillae via Salaria una cum nomine S. Peregrinae V. M., quae ferreis catenis pro fide Christi verberata spiritum inter tormenta Deo reddidit: sed, quo imperatore aut praeside passa sit, haec tenus ignoratur. Translationis dies v. Octobris quotannis deinceps duplici primae classis Officio peragitur a Patribus Discalceatis. Paucis sane sat multa, paulo accuratius expendenda, hic tradit Schönlebenus, ac primo quidem ampullam vitream, in qua sit S. Peregrinae sanguis, corpori ejus, apud Augustinianos Excalceatos Labaci asservato, esse adjunctam. Verum unde illa sanguine impleta ampulla? Fuerint forsitan apud sacrum Sanctae corpus in eodem, e quo hoc fuit extractum, sarcophago seu tumulo reperta huicve praefixa?

Sibi in tumulo ampullam vitream,

ampullam vitream, in qua sit S. Peregrinae sanguis, corpori ejus, apud Augustinianos Excalceatos Labaci asservato, esse adjunctam.

E

49 Reverendus admodum pater Simplicianus iterum mox laudatus praeter Notitiam, instrumenti Romani autographo a tergo ex dictis inscriptam, aliam insuper, quam cum Majoribus nostris pariter communicavit Schönlebenus, in instrumenti, Labaci confecti hucque num. 9 et tribus seqq. jam recitati, autographo a tergo signalatam, reliquit; in hac autem, qua sacrum Sanctae corpus, statuæ lignae inclusum, Labaci fuisse aetate sua asservatum, insuper docet, ita commemorat: Venerandum caput (S. Peregrinae scilicet) totum plumbatis contusum, sub capite formatae ex ligno imaginis una cum aliis reliquiis adest; in reliquis membris statuæ lignae alia ossa ac in duobus sigillatis ex viridi serico sacculis etiam de corpore ejusdem Sanctae recondita; sic et terra una cum sanguine Sanctae in charta sigillata, quae in poculo vitreo reperta, quod poculum sanguine rubet, prope caput asservatur: quibus verbis sane, ut parum concinnis, sat aperte indicat, ampullam vitream, sanguine impletam, aut certe tinctam, prope sacrum Sanctae corpus in eodem, e quo hoc fuit extractum, sarcophago seu tumulo fuisse repertam. Et vero cum hujusmodi ampullam, aliunde quam e Sanctae tumulo extractam, sacris ejus reliquiis, Labacum transferendis, Romae fuisse adjectam, credibile non sit, hasque inter illam, quam memorat ampullam, plus semel jam laudatus, qui easdem reliquias attentissime examinavit, P. Simplicianus ab Assumptione haud dubie invenerit, ei utique hic assentiendum apparet, etsi interim ampullae seu poculi vitrei, sanguine tincti, quod in Sanctae tumulo fuerit repertum, nulla omnino vel in binis instrumentis supra huc transcriptis, vel in testimonialibus alteri horum num. 6 insertis Eminentissimi Cardinalis in Urbe vicarii vicegerentis litteris mentio occurrat.

sanguine tinctam seu impletam,

F

20 Hinc porro jam consequitur, ut, cum ampullae seu vascula vitrea sanguine impleta aut saltem tincta, quae corporibus reperiuntur in cimiteriis adjuncta, pro certissimis martyrii indicibus apud omnes modo habeantur, de Sanctae nostrae martyrio ambigendum, minime videatur. Dispicimus modo, quid de ejusdem nomine, quod una cum sacro corpore e Romano Priscillae cimiterio

inscriptio nemque, in qua titulus Virginis, habere adjunctam.

A terio fuisse extractum, Schönlebeniana docet num. 18 data notitia, sit censendum. Cistulæ quidem, in qua sacrum corpus Roma Labacum fuit delatum, S. Peregrinæ nomen fuisse adjectum, in binis instrumentis supra huc transcriptis aperte innuitur; ast fuisse hoc una cum illo e Priscillæ cæmeterio extractum, in iisdem instrumentis non innuitur: attamen cum Peregrina tum in his, tum in testimonialibus Eminentissimi Cardinalis in Urbe vicarii vices gerentis litteris, Virgo constanter nuncupetur, illam equidem hunc titulum vel in epitaphio vel in inscriptione quæpiam, quæ una cum sacro corpore e Priscillæ cæmeterio fuerit extracta, prætulisse, in animum induco. Ut ut enim Sancta ex ampulla, vitrea, sanguine impleta aut saltem tincta, pro martyre merito haberi, simulque vel ex solis ossibus inspectis, virne esset, an mulier, dignosci poterit, virginem tamen seu innuptam potius fuisse, quam nuptam, absque inscriptionis subsidio nequirit resciri.

Martyrii, quo Sancta coronata fuerit

21 Verum anne in hac præstulerit etiam Peregrinæ nomen pro certo asseverare non ausim. Etenim duplicis generis Sancti, quorum alii absque ullo nomine aut inscriptione, alii cum alterutro vel etiam cum utroque reperiuntur, ex antiquis Romæ cæmeteriis eruuntur, nominatim horum prioribus, qui idcirco Sancti baptizati appellantur, a Cardinale vicario vel ab episcopo, sacrarii Pontificii præfecto, solent imponi: hinc autem jam fit, ut dubium omnino maneat, an Martyr nostra, utpote e primo forsan Sanctorum genere hic recensita, in eadem, in qua virgo fuerit vocata, inscriptione, aut alio etiam epitaphio Peregrinæ nomen præstulerit, ac proin an hoc e cæmeterio Priscillæ una cum Sanctæ corpore fuisse extractum recte notetur in Schönlebeniana notitia. Nec certius apparet, quod in hac etiam deinde traditur, inter tormenta, exspirasse Sanctam, catenis ferreis verberatam: unde enim vel Schönlebenus, vel etiam P. Simplicianus, qui pro catenis ferreis plumbatas in altera e supra memoratis notis ponit, sævum illud didicit, quod Sancta subierit, martyrii genus? An fuit id forte in inscriptione jam mox dicta notatum, aut an fuerint forsan vel catenæ ferreæ, vel plumbatæ, vel ambo etiam hæc martyrii instrumenta simul in Sanctæ sarcophago seu tumulo reperta? Verum neutrum vel a P. Simpliciano aut a Schönlebensio asseritur, vel aliunde potest probari. Nolim quidem, quod num. 19 ait Simplicianus, inficiari, venerandum sanctæ Virginis caput totum esse contusum; verum unde hoc plumbatis, quod ibidem pariter affirmat, factum rescivit? Nequiritne aliis instrumentis Sanctæ caput contundi?

genus, tempusque est incertum,

22 Adhæc novi quidem etiam, Sanctæ per plumbatas martyrium non soli fuisse P. Simpliciano creditum: etenim penes nos exstat, quem una cum documentis supra adductis sæpissime jam laudatus Schönlebenus Majoribus nostris misit, parvus libellus, Pragæ sub hoc titulo, Solennitas translationis sacrorum lipsanorum D. V. et M. Peregrinæ jussu SS^{mi} D. N. D. Papæ Alexandri VII et cæmeterio Priscillæ extractorum Labaci metropoli Carniolæ publica cleri populique supplicatione ad ecclesiam divi Josephi RR. PP. Excalceatorum S. Augustini

die.... mensis.... anno MDCLX celebrata, et Pragæ tripoli et metropoli Bohemiæ a P. F. Æ. a S. J. B. A. E. stylo metrico et anagrammatico adumbrata, anno 1660 typis excusus; hoc autem Opusculum, in quo præterea, utpote fere vagas dumtaxat in Peregrinæ nomen, formatæque ex hoc anagrammata, allusiones, carminibus perparum linatis innezas, complecto, nihil omnino notatu dignum occurrit, plumbatis Sanctam fuisse occisam, sat aperte indicat tum ipsa hujus, quam in fronte præfert, imagine, sinistra plumbatas tenente, tum distichis tribus diversis, ad hoc ipsum martyrii instrumentum, quo Peregrinam cæsam innuit, alludentibus. Verum quid tum? Libelline illius auctor credendo Sanctæ per plumbatas martyrio sufficiens forte, quo destitutus fuit P. Simplicianus, fundamentum habuit? Id equidem evinci vel utcumque posse non reor. Quo ergo martyrii genere Sancta evolarit ad Superos, dubium omnino atque incertum apparet. Pari porro modo de tempore, quo id factum sit, est loquendum, ut proinde ignorari tum imperatorem, tum præsidem, sub quo Sancta passa sit, recte saltem in Schönlebeniana notitia scribatur. Attamen cum ante annum quidem 312, quo Maxentium tyrannum debellavit Constantinus Magnus, Christiani admodum frequentes, post vero rarissimi Romæ fuerint martyrio affecti, verosimilius equidem ante annum illum, ut supra in margine indicavi, sanguinem ibidem pro Christo Sancta effuderit.

23 Atque hæc de tempore, quo Peregrina sit passa, dixisse sufficiat: restat nunc, ut de annuo ejus, quem tandem etiam notitia Schönlebeniana docet, Labaci apud Augustinianos Excalceatos cultu pauci edisseram. Quintam Octobris diem, qua S. Peregrina anno 1660 solenni pompa in Labacensem Augustinianorum Excalceatorum ecclesiam fuit illata, fuisse deinceps ab his quotannis, per aliquot saltem annorum seriem, duplici primæ classis Officio peractam, asserenti Schönlebensio credo: verum an annum hunc cultum Sanctæ impendere hodieque pergant religiosi illi viri, dubitare me facit generale, ab Innocentio XII approbatum, decretum, qua a sacra rituum Congregatione anno 1691 fuit prohibitum, ne de Sanctis in Martyrologio Romano non descriptis, utut horum vel corpora, vel insignes reliquiæ in ecclesiis habeantur, Officia deinceps recitentur, Missæque celebrentur, nisi speciali sanctæ Sedis concessione interveniente, quam an pro Sancta nostra Augustiniani Labacenses Excalceati impetrarint, penitus ignoro. Ut ut res habeat, Peregrina equidem pro Sancta, ac Martyre est habenda, potestque ejus corpus publicæ adhuc fidelium venerationi exponi, nec est, cur scrupulum cuiquam moveat, sacrum illud pignus, non ab Eminentissimo Cardinale vicario, sed ab hujus dumtaxat vices gerente fuisse donatum; in hanc enim donationem, uti tum ex Romano, tum ex Labacensi instrumento, supra huc transcripto, facile intelliges, ipsemet ille Eminentissimus saltem consensit, nec solet hic permittere, ut ex antiquis cæmeteriis Romanis extrahantur, atque ad publicam venerationem transferantur corpora, nisi quæ ipse vere Sanctorum Martyrumve esse ex certis indubitatisque indicis habuerit perspectum.

AUCTOR
C. B.

quævis ea pro tera martyre sit habenda colendaque.